



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Explanatio In Psalmos**

Complectens primos 25. Psalmos

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Dusseldorpii, [1761]**

**VD18 15558428-001**

Psalmus VII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53377)



sibi hoc modo animos adderet ad resistendum tentationibus.

*V. 10. Erubescant, & conturbentur omnes inimici mei: convertantur & erubescant valde velociter.*

Concludit optans finem totalem bel-  
torum spiritualium. *Erubescant, & con-  
turbentur*, quia in vanum laboraverunt;  
*convertantur* in locum suum, unde vene-  
runt, & *erubescant*, confusi discedant ve-  
locissimè, quia nolo differre vitæ muta-  
tionem; sed ex hoc momento aggredior  
viam Domini rectam.

## PSALMUS VII.

**T**itulus: *Psalmus David, quem cecinit  
pro verbis Chusi, filii Jemini. Hic  
Chus probabiliter est Semei, qui 2. Reg.  
C. 16. Davidi, persecutionem Absolonis  
fugienti maledixit: Egredere Vir sangui-  
num, & Vir Belial &c.*

Argumentum: *contra hanc calum-  
niam pessimam, & falsissimam (ut patet ex  
V. 3.) orat Deum, ut defendat innocen-  
tiam, & justitiam suam. Propheticè Da-  
vid gerit personam Christi, & cujuscun-  
que justii, calumniam sustinentis.*

*V. I.*



✠. 1. *Domine Deus meus in te speravi: saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me.*

*In te speravi*, quia pene omnes deseruerunt me, ita ut etiam filius meus Absolon, vel focer meus Saul quærant me occidere: non habeo, cui fidam, nisi te Deum meum. *Saluum me fac ex omnibus* &c., alii persequerentur consilio, alii maledictione, alii bello & armis.

✠. 2. *Nequando rapiat ut leo animam meam, dum non est, qui redimat, neque qui saluum faciat.*

Respicit ad Principem persecutionis, ne fortè, inquit, Saul, aut Absolon eripiat vitam meam, ut leo solet absque ullâ misericordiâ cetera animalia interficere: *Dum non est* &c. dum tu non redimis, neque salvas. Sciebat enim David, omnem industriam humanam sinè Deo esse vanam.

✠. 3. *Domine Deus si feci istud, si est iniquitas in manibus meis.*

✠. 4. *Si reddidi retribuētibus mihi*

C 3

*mala,*



*nia'a, decidam merito; ab inimicis  
meis inanis.*

Reddit causam, cur petierit liberari à Deo, quia videlicet Deus novit illum innocentem. Primò ait, se non reddidisse malum pro bono: *Si feci istud*, h. e. si insidiatus sum Regi, aut invasi Regnum fraude aliquâ, aut vi; *Si est iniquitas in manibus meis*, h. e. si operatus iniquitatem, reddendo malum pro bono, h. e. cùm receperim à Saule honorem magnum, ut essem gener ejus, & Tribunus super mille viros, si reddidi pro his beneficiis malum insidiarum, ut ipse dicit. Secundò ait, se non reddidisse malum pro malo: *Si reddidi &c.* Si, ut Saul, sive Semei me quæsiverunt interficere, ego pariter eorum mortem quæsierim, & non potius à cæde abstinuerim, cùm facile, & impune eam inferre potuissem. *Decidam meritò &c.* Si non sint falsæ eorum calumniæ, non recuso cadere in prælio sinè ullâ gloriâ militari, nullo damno hostibus illato, & maximo accepto.

*v. 5. Persequatur inimicus animam  
meam, & comprehendat, & con-  
culcet*



*culcet in terrâ vitam meam, & gloriam meam in pulverem deducat.*

In recensendis malis, quæ sibi imprecatur, nisi falsæ sint calumniæ, semper crescit oratio. Primò *persequatur &c.* h. e. conetur me occidere. Dein *comprehendat*, sive non possim effugere manus ejus. Post *conculcet &c.* h. e. ignominiosè destruat vitam meam, quomodo destruantur, quæ pedibus minutatim atteruntur. Demum *Gloriam meam &c.* h. e. post mortem gloria mea intereat, ita ut memoria mea cum infamia vivat inter homines. Additur in Hebræo *Sela*, h. e. semper infamis maneam.

✠. 6. *Exurge Domine in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum tuorum.*

Demonstratâ innocentiam suam, petit à Deo justam defensionem. *Exurge &c.* h. e. incipe juvare, irascere inimicis meis, eosque repelle, ac terre, ne mihi noceant. *Exaltare &c.* ita age, ut omnes ubique inimici mei, qui etiam sunt tui, præsentiam tuam sentiant.

✠. 7. *Et exurge Domine Deus meus*



*in praecepto, quod mandasti: & Synagoga populorum circumdabit te.*

Deus praeceperat iudicibus, ut liberarent innocentes de manibus opprimendum; igitur hoc ipsum decet Deum, supremum Iudicem. Unde ait: *Et exurge &c. Et Synagoga &c.* h. e. ex defensione hâc fiet, ut multi Te agnoscant, laudent &c. . Dicit, *circumdabit Te.* quia Deus est in medio laudantium Se.

✧ 8. *Et propter hanc in altum regredere: Dominus iudicat populos.*

Sicut propter me exaltatus es in finibus inimicorum meorum, terrens eos ex iustitiæ tuæ folio, ita propter Synagogam populorum, laudantium Te, quodocunque opus erit, in altum folium iustitiæ iterum ascende, & appare conspicuus in finibus inimicorum eius, quia Domini supremi, qualis Tu es, proprium est iudicare populum.

✧ 9. *Judica me Domine secundum iustitiam meam, & secundum innocentiam meam super me.*

Conclusio totius precatationis. Quia sibi conscius erat, falsam esse calumniam



am Saulis, five Semei, Deum, supremum Judicem, & conscientiae suae testem rogat, ut juxta justitiam, & innocentiam, quæ est in Davide, causam judicet, & det cuique, prout meretur.

Ÿ. 10. *Consummetur nequitia peccatorum, & diriges justum: scrutans corda, & renes Deus.*

Hæc est quasi pars altera Psalmi, quâ docet impios contra se ipsos agere, ideoque hortatur eos ad vitæ emendationem. *Consummetur* &c. esto, ad summum perveniat nequitia peccatorum; tamen justo non nocebit: quia per tuam Providentiam aderes justo: ne declinet ad dexteram, aut sinistram. Tu, inquam, hoc facies, qui solus nôsti, qui sint verè justî, cùm scruteris corda, h. e. cogitationes, & renes, h. e. desideria:

Ÿ. 11. *Justum adjutorium meum à Domino, qui salvos facit rectos corde.*

Ex universali sententiâ colligit in particulari, se meritò sperare adjutorium Domini, cujus proprium est, salvos facere eos, qui verè justî sunt coram Deo, qui corda scrutatur.

Ÿ. 12.



ŷ. 12. *Deus Iudex justus, fortis, & patiens: nunquid irascitur per singulos dies?*

Deus Iudex justus, qui simul est fortis, & patiens, non semper comminatur; sed etiam aliquando re ipsa iram effundit, gravissimè puniendo. Notent id ii, qui videntes Deum sæpe minari multa mala peccatoribus, & tamen differre executionem, contemnunt minas Dei: nam

ŷ. 13. *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit: arcum suum tendit, & paravit illum.*

Utitur similitudine gladii, & sagittarum, ut significet, Deum ferire tam propè, quàm longè. Si causa mali, nobis illati proxima est, & manifesta, tunc Deus gladio ferit cominus. Si causa mali remota, & occulta est, tum videtur Deus eminus jaculari sagittas suas.

ŷ. 14. *Et in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.*

Ne putaremus, sagittas Dei facile posse repelli, aut evitari, dicit illas esse *vasa mortis*, h. e. Instrumenta mortifera,





ra, & fabricatas ex ardenti materiâ, ut sint tela ignita, quæ velocissimè, & summâ vi penetrant omnia.

ŷ. 15. *Ecce parturiit injustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem.*

Tribus sequentibus Versiculis ostendit, sagittas Dei, ut verè ignitas, velocissimè, & summâ vi ferri, ut vitari non possint: nam illâ ipsâ actione, Dei providentiâ sic disponente, quâ peccatores nocere parant justis, se se ipsi occidunt.

*Ecce parturiit injustitiam*; dictum est in summâ; dein explicat: *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* Conceptio doloris est Conceptio invidiæ, sive odii in proximum, quæ sunt semina malorum: Illa dicitur conceptio *Doloris*, quia invidia, & odium torquent animum proprium. Deinde ex hoc malo semine concepto paritur opus iniquum, ut cædes, rapina, detractio &c.

ŷ. 16. *Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foveam, quam fecit.*

Aperuit *Lacum*, seu foveam, ut justus,



stus, nesciens ibi esse foveam, in eam caderet; sed ipse prior in eam incidit, qui eam foderat. NB. Machinationes impiorum comparat cum partu, & fossione, quæ sunt opera valde laboriosa, ut significet, opera mala non sine dolore, & labore fieri.

Ps. 17. *Convertetur dolor ejus in caput ejus, & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.*

Non solum mala occulta, ut apertio foveæ; sed etiam manifesta, ut odium, sive invidia concepta, quæ multis signis prodit exterius, & quæ inde oriuntur, cædes &c. in authorem, Deo sic disponente, recident; ut patet in Saul, & Davide, in Christo & Judæis &c.

Ps. 18. *Confitebor Domino secundum justitiam ejus, & psallam nomini Domini altissimi.*

Concludit Psalmum: Laudabo Deum, prout meretur ejus justitia, quæ tam miris modis liberat justos, punit injustos; & hymnum dicam supremo judici, qui sedet in altissimo solio super omnes alios judices.

PSAL-